

**APOLLINEM SVVM  
 PHOEBEV M ADSCENDENTEM CVRRVM,  
 VIRO,  
 PER-MAGNIFICO, GENEROSO MAXIMEQVE  
 STRENO DOMINO,  
 DOMINO  
 CHRIST. FRID.  
 RAMSEY,**  
 LEGATO PRÆSIDIS PVPILLORVMQVE ANTISTITE  
 HACTENVS GRAVISSIMO MERITISSIMO,

**GVBERNACVLA REIPVBLCIAE**

A. R. S. MDCCXLVIII d. 26 MARTII  
 VOTIVOS INTER OMNIVM ORDINVM APPLAVSVS  
 CAPESSENTE FELICITER,

PIA NEC NON SVBMISSA VENERATIONE  
 ADORANT,

**MUSÆ ELBINGENSES,**

VERBIS PRÆEUNTE

**M. JACOBO WOIT**

PROF. ORD. MATHEM.

---

ELBINGÆ, LITTERIS PREVSSIANIS.



Huc vultum,  
huc verte lumina  
ELBINGA!

Novum intuere spectaculum,  
non in orbe, sed TUA in urbe,  
non in polo, sed TUO in solo.

Novus TIBI exoritur PHOEBUS,  
non Mythologorum fictus, sed DEi munere datus.

Exsurgit Patriæ e Prytanico  
Patrio ut præticeat Orbi.

Quid hoc?

SOL Candoris, Comitatis, Prudentiæ,  
Verbo:  
VIR

Stemmata æque ac Virtutibus Inclutus  
Solum Justitiæ occupat  
ex quo radios vibrat,  
virori & vigori TUO lumen, calorem, foturam suppeditaturus.  
Circumspicis?

En!

RAMSEY TUUS PER - MAGNIFICUS  
fasces securesque gesturus Phœbeum penes TE concendit  
Currum.

Dico satis:

Est Præses Reipublicæ, qvod Sol Olympo.  
Eminet super omnes, immineat ut omnibus;  
novum quotidie emittit jubar, nihil qvicquam amittit antiqui;  
Legit Eclipticam  
æqualibus & summos & imos illustraturus recreaturusqve radiis

transit *Æquatorem* æqvis semper Justitiam inter Clemens-  
tiamque arbiter;  
appropinquat ad *Perigæum* paratior ad veniam resipiscentibus;  
recedit ad *Apogæum* tardior ad pœnam obstinatis;  
Spectatur in *Conjunctione* cum **SIDERIBUS Firmamentis**  
*Nostris* **SPLENDIDISSIMIS**,  
conunctis consiliis, conunctis viribus,  
ingruentes irruentesque propulsurus procellarum turbines;  
duplicat nitorem, distabescente nimbo reliquos quo dissipet  
turbarum vapores.

Omnibus ergo PATRIA incede lætitias!

Fulgebit TIBI PHOEBUS

**RAMSEY MAXIME STRENUO**

Reipublicæ tractante Clavum;

Ascendit Currum a quo nullæ metuenda Declinationes;  
Eminet in Zodiaco promittens Clementiæ candorem,  
quem e statione altissima perpendiculariter undique  
ejaculabit sine obliquitate,

ut a Centro Justitiæ ad Peripheriam inflictæ pœnæ  
& omnia dicta & ducta invicem sint æqvalia,

medius Virginem inter & Libram,

documento certissimo:

virginea integritate fasces *Præsidii* iri tractatum,  
ut lanx excessum inter & defectum perpetuo mediet.

Probe callens,

nihil pulchrius, quam subditos amare,

nihil utilius, quam subditis amari:

hoc est,

mutuum inter Imperantes & parentes amorem  
inexpugnable *Societatum Civilium* esse munimentum.

Qvis itaque frui non cupiat proprius hocce SOLE?

En!

confluunt certatim

Incolæ, Accolæ, Concolæ,  
novo hoc ut calefiant Lumine;  
vota faciunt, damnentur ut votis.

Applicant sese iis MUSÆ PATRIÆ  
APOLLINEM SUUM noviter orientem

conunctis adorantes plausibus;  
adolent victimas Persarum more altaribus,

non quidem auro ductis,

aut in cordium penetralibus erectis,

VIR PER - MAGNIFICE,  
qui Radium faventem impertis omnibus, ipsum qui deneges  
MUSIS?

Sine scelere tacere non possunt, nec sine culpa loqui.

Spartæ TUÆ dignitas  
& fontes facit & insontes,  
crimen fuerit tam tacere quam loqui velle,  
utut facultas desit.

Gratulamur TIBI FULGIDE APOLLO,  
affatu qvidem brevi ast effectu prolixiori,  
Currum Phœbeum quem concendisti feliciter,  
DÉo duce,

carpe viam dudum TIBI destinatam,  
prudenti jamjam PATRUM PATRIÆ Consensu rese-  
ratain;  
emetire iter, qvod Cives faustis TIBI pandunt acclama-  
tionibus;  
decurre stadium in quo MUSÆ plaudente TE proseqvun-  
tur devotione;

ascende altius in Ecliptica TUA ut luceas splendidius;  
exulent Maculæ & Faculæ TUUM occœcaturæ jubar;  
nullæ ferales turbarum Cometæ TUAM interturbent Orbitam;  
effulge conspicuus sine Eclipsi.

Verbo:

Omnigenæ sis semper felicitatis in Nodo.

